

DISPUTATIO XXXVIII.

De sigillo Confessionis.

Quemadmodum ea , quæ aliis secreta esse volumus , sigillo obfirmamus , ita communicatâ peccatorum notitiâ per Sacramentalem Confessionem , quælibet ad expressionem peccatorum pertinentia aliis à Confessario celari debent. unde obligatio sigilli est obligatio audita in Confessione Sacramentali silentio quasi sigillo obfirmandi.

Q U Æ S T I O I.

An sigillum Confessionis in omni casu obliget ?

DICO. De necessitate Sacramenti est , quod quis confessionem celet & tanquam violator Sacramenti peccat , qui confessionem revelat. S. Th. in suppl. Q. II. A. I. O.

Explicatur & probatur: est strictissima obligatio sigilli non tantum ex natura hujus Sacramenti; supposita enim institutione hujus Sacramenti , reverentia huic Sacramento debita dictante lumine naturali exigit, ne hoc Sacramentum reddatur fidelibus odiosum , & consequenter ne audita in Confessione propalantur, per quam propalationem utique hoc Sacramentum redderetur valdè odiosum ; etiam virtus fidelitatis & justitiæ secretum postulat vi pacti virtualis & impliciti inter pœnitentem & Confessarium initi , dum pœnitens detegit peccata , ut absolutionem obtineat ; attamen etiam hujus gravissimæ obligationis ratio sumitur ex præcepto speciali Christi hoc Sacramentum cum tantâ obligatione instituentis , ut ex perpetua traditione & praxi Ecclesiæ colligitur , quæ semper tantam esse obligationem sigilli judicavit , ut in nullo unquam casu Sacramentalem confessionem revelare liceat, ne Sacramentum

mentum
tum noxi
hac obli
admittat
rentia Sa
autem etia
merent pe
vel per r
putans el
Nec ull
quæ Sac
licentiar
rentia in
talis ,
necessit
munita
tumen
fuit co
& in o
omni c
sum pe
gere au
Ex
fessariu
nitente
confessi
fit, qua
non viol
concred
quia in
tionem
bus, ut
fessario
in prior
guunt,

mentum tam necessarium in salutem animarum institutum noxium fiat & exosum. Ex quo sequitur, quod hæc obligatio sit semper sub peccato mortali nec ullam admittat parvitatem materiæ: semper enim urget reverentia Sacramenti, ne fiat odiosum pœnitentibus, si autem etiam in materia levi liceret aliquid revelare, timerent pœnitentes, ne Confessarius vel per errorem vel per malitiam revelaret aliquod gravius peccatum putans esse leve & sic à Confessione retraherentur. Nec ulla datur causa excusans revelationem eorum, quæ Sacramentali Confessione manifestata sunt (extra licentiam pœnitentis, de qua infra) & hæc est differentia inter obligationem secreti naturalis & Sacramentalis, quod obligatio secreti naturalis cesset in casu necessitatis. Hinc ad avertendum gravissimum communitalis malum, vel alterius innocentis notabile notamentum licet revelare, quod sub secreto naturali fuit concreditum, sed secretum Sacramentale semper & in omni casu necessitatis obligat: quia semper & in omni casu urget reverentia Sacramenti, ne fiat odiosum pœnitenti, quod fieret, si in ullo casu liceret detegere audita in confessione.

Ex qua ratione etiam sigilli obligatio vetat, ne Confessarius ullo casu utatur noticia Confessionis, invito pœnitente, adeo ut nequidem cum ipso pœnitente extra confessionem de rebus in confessione auditis loqui possit, quamvis id non sit propriè fractio sigilli: quia secretum non violat, qui cum eodem, qui secretum commisit, de concredito loquitur. *Dixi*: extra Confessionem: quia in aliis Confessionibus potest Confessarius mentionem facere de auditis in præcedentibus Confessionibus, ut habet communis praxis timoratorum Confessorum, qui ob recidivam post præcedentes lapsus in prioribus Confessionibus auditos pœnitentes arguunt, absolutionem quandoque negant, quandoque

que differunt, & ideo hortantur spirituales magistri fideles maximè pravis consuetudinibus implicitos, ut eodem semper utantur Confessario, & ratio esse potest: quia pœnitens in Confessione sua peccata detegit, ideo, ut Confessarius ex eorum notitiâ pœnitentem intrâ tribunal pœnitentiæ dirigat.

Q. An aliquando extrâ Confessionem liceat Confessario uti notitiâ ex confessione habitâ saltem circa solum pœnitentem?

R. 1. Si revelationis directæ vel indirectæ periculum sit, nunquam licet uti notitiâ ex Confessione habitâ: quia in nullo casu licitum est uti notitiâ peccati habitâ ex sola Confessione pœnitentis, ita ut alii, quibus aliàs peccatum pœnitentis incognitum erat, quidquam advertentes, grave quidpiam exindè contrâ pœnitentem suspicentur. Ut si Confessarius v.g. superior post confessionem confesso præter morem coram aliis torvum vultum exhibeat, solita signa benevolentiae subtrahat, aut aliud simile quid agat, ex quo alii veniant in cognitionem vel suspicionem aliquam peccati ipsius saltem in genere, quia illud est aliis revelare peccatum confessum, quod nunquam est licitum in quâcunque necessitate.

Dices: ergo si Confessarius intelligat à pœnitente ante sacrificium suum mox peragendum, vino consecrando admixtum esse venenum, tenebitur celebrare, ne deveniant aliqui in notitiam peccati, si enim omittit celebrare, complices pœnitentis intelligent pœnitentem admixtionem veneni esse confessum, & ita per omissionem celebrationis manifestabit peccatum sibi confessum, quod nunquam licet non obstante quocunque periculo vitæ.

R. Contra plures negando sequelam: talis enim Confessarius potest omittere celebrationem: quia aliud est verbo vel facto patefacere peccatum confessum, quod

quod n
quo aliq
candi oc
subjectur
fessum est
catum con
cens ad ul
confessur
ligunt pe
eodem r
à sacrifici
pœnitent
nitionis
peccatur
obligatio
R. 2.
tionis pe
difficilis
ex oblig
latio in
sed gene
confessio
dens est
hac parte
circa pœ
dè non li
nitenti e
aliis, no
locum, i
cognitum
ex sola c
præsentat
re; quæ ce
tis VIII.
superiores

quod nunquam licet, aliud agere vel omittere, ex quo aliqui scientes aliunde peccatum, sumant suspicandi occasionem, quod peccatum illud sit Confessioni subjectum; sic aliquis audiens, suum complicem confessum esse & communicasse suspicari potest, illum peccatum commune esse confessum; si Confessarius ducens ad ultimum supplicium contestetur, reum bene confessum & contritum obiisse, audientes illum colligunt peccata publica & notoria confessum fuisse, eodem modo in proposito casu, Sacerdos abstinens à sacrificio nullo verbo vel facto prodit peccatum poenitentis, sed solum per accidens ratione scilicet cognitionis aliunde jam habitæ socii criminis colligunt, peccatum jam esse confessum, quod nihil est contra obligationem sigilli.

§. 2. Nec licet tali notitia uti secluso etiam revelationis periculo, si tamen ex tali usu Confessio reddatur difficilis & odiosa, licet solus poenitens advertat; quia ex obligatione sigilli non solum illicita est omnis revelatio in. vel directa secreti Sacramentalis coram aliis, sed generaliter illicitum est omne id, quod redderet confessionem gravem & odiosam fidelibus; atqui evidens est, reddi confessionem gravem & odiosam ex hac parte, si Confessarius ex hac notitiâ confessionis circa poenitentem exercent actus ingratos; ergo. Unde non licet confessario ex sola notitia confessionis poenitenti exhibere severiorem vultum etiam seorsim ab aliis, non potest eum amovere & transferre ad alium locum, non potest famulum ex sola confessione furem cognitum à servitio dimittere, non potest indignum ex sola confessione cognitum in aliqua electione vel præsentatione à dignitate per negationem voti impedire; quæ certa sunt in regularibus post decretum Clementis VIII. quo regularibus specialiter præcipitur, ut tam superiores pro tempore existentes, quam confessarii, qui postea

postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis ex confessione habuerint, ad externam gubernationem utantur. *Dixi*: aliquos actus ingratos pœnitenti: quia potest confessarius in particulari ob notitiâ ex confessione habitam exhibere pœnitenti aliquos actus gratos: ut singularia beneficia, singularia signa benevolentiae, quamvis pœnitens advertat, hæc fieri ob audita in confessione peccata; item si confessarius ex confessione intelligat suo facto vel dicto scandalizatum vel turbatum fuisse pœnitentem, potest ex sola illius notitiâ à simili dicto vel facto abstinere: quia ex exercitio similium actuum confessio non redditur odiosa sed potius grata.

Dices 1. Adminus posse confessarium ex notitiâ confessionis in electione negare votum, si nec pœnitens nec alii advertere possint, id fieri ex notitiâ confessionis.

R. Negando: quia redditur confessio odiosa & deterrentur fideles à sincerâ confessione, si sciant confessarium ex solâ notitiâ Sacramentali posse etiam nemine advertente pœnitentem amovere ab officio, private suffragio, dimittere è domo &c.

Dices 2. Confessarius v. g. superior potest ante confessionem negare suffragium, dimittere famulum, amovere subditum à loco; ergo etiam illud potest facere post confessionem: quia per confessionem auditam confessarius non amisit jus suum, quod ante habuit dandi & negandi suffragium, disponendi pro arbitrio de subdito, & certè alias indigni & improbi ex industria uterentur hoc medio confessionis apud superiorem, ut obtinerent vel retinerent concupita.

R. Confessionem nullum jus tollere confessario: licet enim Prælati habeat jus amovendi subditum ab officio vel denegandi votum pro arbitrio, nunquam

tamen

tamen ha
ter crime
fessarius
vatur,
moveatur
pœnitenti
gerere del
terno, in
etiam par
periores
sunt prop
arbitrio
fessione

Ex d
confessa
nitenter
duntaxa
genere;
nitenter
reddere
nat stat
cati ver
est com
ingratu

D
sed indi
fessione
illa, per
S. Th. i

Ex p
gatio si
confessio

tamen habuit jus amovendi subditum ab officio propter crimen in solâ confessione cognitum; quare confessarius propter auditam confessionem nullo jure privatur, sed prohibetur, ne ad tale quid faciendum moveatur vel adjuvetur ex notitiâ haustâ ex Sacramento penitentiae: cum confessarius in foro externo se ita gerere debeat erga penitentem, ac si in illo foro interno, in quo vices Dei agit, nihil advertisset, undè etiam parum prodesse potest indignis confessio apud superiorem, cum plerumque Prælati eos amovere possit propter causas aliundè cognitâs, vel etiam pro suo arbitrio, dummodo non moveatur à notitiâ in confessione solâ habitâ.

Ex dictis patet: obligationi sigilli non contravenire confessarium, si pro licentiâ petendâ alloquatur penitentem sine ullius peccati specifici mentione, petendo duntaxat licentiam loquendi de auditis in confessione in genere: quia talis generalitas nihil complectitur, nisi penitentem esse confessum, quod nequit confessionem reddere odiosam, cum sit actus virtutis, nec supponat statum infamiâ dignum, sed duntaxat statum peccati venialis in abstracto, quod omnibus hominibus est commune, nec proindè potest esse actus penitenti ingratus.

QUÆSTIO II.

Quenam spectant ad sigillum?

DICO: *Sigillum confessionis directè se non extendit nisi ad illa, de quibus est Sacramentalis confessio, sed indirectè id, quod non cadit sub Sacramentali confessione, etiam ad sigillum confessionis pertinet, sicut illa, per qua posset peccator vel peccatum deprehendi.*
S. Th. in suppl. Q. 11. a. 2. O.

Explicatur & probatur: Intantum se extendit obligatio sigilli, in quantum extendit se Sacramentalis confessio: cum ex illâ solâ oriatur, sicut ergo Sacramentalis

talis

talis confessio directè & per se non est nisi de peccatis, indirectè & per accidens est etiam de aliis, sine quibus ipsa peccata non exponuntur, vel non possunt exponi, ità eodem modo de peccatis per se, de aliis per accidens est obligatio sigilli.

Ex quibus inferitur 1. Sub sigillum cadunt omnia peccata mortalia tam in genere quam specie, undè sigillum frangit, qui de certo pœnitente indicat verbo, signo, nutu aliquo v. g. suspirio, illum confiteri vel fuisse confessum aliquod grave peccatum, aut si dicat generaliter ex confessione: in hâc communitate (si sit parva) committuntur peccata gravia, aut peccatur contra hoc vel illud præceptum.

2. Cadunt sub sigillum omnia venialia in specie; undè sigillum frangit & graviter peccat, qui peccatum aliquod veniale etiam levius ex confessione solâ cognitum indirectè vel directè revelat, non tamen cadunt sub sigillum peccata venialia in genere, undè non peccat, qui dicit v. g. Petrum esse confessum sua venialia, in hoc enim nullum fit gravamen vel injuria pœnitenti: cum per se notum sit, eum qui confessus est, ad minimum habuisse venialia; aliud est si diceretur aliquem peccata venialia confessum tali modo, ut daretur ansa suspicandi, illum vel alios peccata mortalia quandoque fuisse confessos v. g. hodie non est confessus nisi venialia

3. Sub sigillum cadunt omnes peccatorum circumstantiæ, & universaliter omnia, quæ pœnitens adfert ad explicandum suum peccatum, necessaria vel utilia, sive per errorem talia reputentur, dummodo ea taceri pœnitentis intersit & ægrè ferat illorum revelationem. *Ratio est:* quia ex vi confessionis talia audiuntur, & illorum propalatio odiosum reddit Sacramentum, secus si talia aliis revelari nullam molestiam adferat pœnitenti.

4. justè in
ret odio
audiri
revelari
tiaz negat
complici
tum, qu
notitiâ c
hendere
pœniten
mento p
si ad em

5. S
fario,
confessi
negatâ
tentis

6.
nent ne
ad expl
illi, qu
adverti
Ratio e
mentur
lata aliq
quid æg
confessio
scrupuli,

An

DICO
do.
III, Pa

4. Sub sigillum cadit peccatum complicitis injustè vel justè in confessione detectum : quia confessio aliàs fieret odiosa, an autem peccatum complicitis in confessione auditum de expressâ licentiâ pœnitentis invito complice revelari possit, controversatur : fundamentum sententiæ negantis est : quia sigillum urget tam in favorem complicitis quam pœnitentis ; hoc autem videtur certum, quod habitâ expressâ licentiâ à pœnitente & justâ notitiâ complicitis possit confessarius complicem reprehendere, & ad emendationem urgere, sicut enim pœnitens extra Sacramentum, sic etiam in ipso Sacramento petere potest à confessario, ut moneat complicem, si ad emendationem complicitis conducere videatur.

5. Sub sigillum cadit pœnitentia injuncta à confessario, si ex illâ colligi possit pœnitentem gravia peccata confessum, item denegatio absolutionis, quia ex denegatâ absolutione colligitur indispositio pœnitentis

6. Juxta sententiam probabilem ad sigillum pertinent non tantum defectus naturales, quos pœnitens ad explicandum peccatum suum confitetur, sed etiam illi, quos confessarius in pœnitente ex modo confitendi advertit, ut quod sit scrupulosus, rudis, morosi genii. *Ratio est* : quia ne pœnitentibus odiosum fiat Sacramentum, debent sub sigillo claudi omnia, quæ revelata aliquam molestiam adferunt pœnitenti, & quidquid ægrè fert pœnitens, ut evulgetur, sive illud in confessione dicat sive faciat ; atqui hujusmodi sunt scrupuli, ruditas similesque naturales defectus, ergo.

Q U Æ S T I O III.

An pœnitens possit dare licentiam & quando?

DICO: *Potest confitens facere, ut illud, quod sacerdos sciebat tantum ut Deus, sciat etiam ut homo,*

III, Partis Theol. Schol. suppl.

Q

homo,

homo, quod facit dum licentiat eum ad dicendum.
S. Th. in suppl. Q. 11.2. 4. in O.

Probatur: In cuius solius favorem per se loquendo est obligatio sigilli sive secreti Sacramentalis; ille potest dare licentiam revelandi, & dando licentiam facere, ut sacerdos simul sciat, ut homo & scientiâ communicabili, quod ex sola confessione sciebat ut Deus & scientia incommunicabili, atqui in favorem pœnitentis, ne ei odiosum reddatur Sacramentum est obligatio sigilli, ergò cessat obligatio sigilli, si pœnitens det licentiam, sicut, si quis illi, cui commisit aliquid sub secreto, dicat: libero te vinculo secreti, si igitur pœnitens confessario expressè & liberè det licentiam loquendi extrâ confessionem de auditis in confessione sive coram se sive coram aliis, non infertur injuria pœnitenti, quia plenè scienti & liberè volenti non fit injuria; neque infertur irreverentia Sacramento: siquidem hoc non facit Sacramentum odiosum fidelibus, sed potius commendabile: cum sciant, quod confessarius non possit loqui de auditis in confessione, nisi ex solâ licentiâ pœnitentis.

Obj. 1. Non communicat pœnitens confessario novam notitiam dando licentiam; ergo si sine licentiâ non profit notitia ad hoc, ut aliis communicetur, neque prodest cum licentiâ.

R. Distinguendo ant. non communicat novam notitiam quoad rem quæ nota est Con. quoad modum notitiæ N. fit enim cum licentia humana notitia, quæ aliàs erat habita tanquam à vicario Dei.

Obj. 2. Pœnitens non potest dispensare in jure divino, ad quod pertinet obligatio sigilli, neque potest præjudicare Sacramento, in cuius honorem est introductum sigillum, sicut Clericus non potest renunciare privilegio fori in favorem statûs introducto.

R. Ad 1. Pœnitens dando confessario licentiam re-

velan-

velandi

divino,

cessat ob

ne datan

Ad 2.

gatio sigi

aliud est

sunt in h

aliquid e

eratum

Q. 1.

possit ut

R. D.

nitens in

de audit

non fut

Deinde

minis,

torta I

talis lice

Q. 2.

tiam da

R. I.

in confe

velare ea

casu si po

rio licen

sine abso

cessarius s

num reipt

Q. 3.

dice inter

dierit in ce

R. Sace

que violat

revelandi audita in confessione, non dispensat in jure divino, sed tantum ponit conditionem, quâ positâ cessat obligatio juris divini ob rationem in conclusione datam.

Ad 2. Sicut pœnitentiæ Sacramentum ita & obligatio sigilli eidem annexa est in favorem pœnitentis, aliud est de Clerico, cujus privilegia primariò data sunt in honorem statûs, qui censetur contemni, si aliquid etiam consentiente Clerico illis privilegiis contrarium fiat.

Q. 1. Qualis debeat esse licentia ut confessarius eâ possit uti?

R. Debet esse expressa vel verbo vel facto: ut si pœnitens incipiat cum confessario loqui extrâ confessionem de auditis in confessione. Implicita vel interpretativa non sufficit, multò minus præsumptio ratihabitionis. Deinde debet esse liberè & sponte concessa, non dolo, minis, metu reverentiali aut importunis precibus extorta. Denique debet esse causa rationabilis ob quam talis licentia sit data.

Q. 2. An pœnitens aliquando debeat talem licentiam dare?

R. Debet pœnitens licentiam dare revelandi peccata in confessione audita, si non possit aut non velit per se revelare ea, ex quibus grave damnum tertio imminet, quo casu si pœnitens nec per se revelare, nec ad id confessario licentiam concedere velit, tanquam indispositus sine absolutione est dimittendus, audita tamen confessarius silentio tegere debet, licet gravissimum damnum reipublicæ indè immineat.

Q. 3. Quid si seclusâ hâc licentiâ confessarius à iudice interrogetur & acrius urgeatur: an peccatum audierit in confessione?

R. Sacerdos interrogatus de peccato pœnitentis absque violatione veritatis potest, adeoque tenetur, si

opus sit, etiam cum juramento, dicere, se nescire quidquam de peccato ejusmodi. *Ratio est*: quia interrogatio & responsio in sensu conveniunt, interrogatio autem est & debet esse in tali sensu an scilicet confessarius sciat peccatum scientiâ aliquâ, ex quâ id possit manifestare; quod negans dicit se nescire scientiâ communicabili, quod verum est, proindè si opus sit juramento pro firmandâ hac veritate, licitè adhibetur cum mentis restrictione, quod nesciat peccatum ita ut possit aut debeat dicere, & hæc restrictio tenet in quibuscunque reflexionibus interrogationi additis: quia notitia per confessionem parata non est de jure confessarii, sed est propria tribunali divino, cujus sacerdos est minister, ita ut secretum illius tribunalis sit sub Dominio solius Dei supremi judicis; sed nemo potest communicare secretum, quod sub ejus jure non existit, sed superiori Domino manet reservatum; undè negatio illius secreti abstrahit ab illo secreto, & hinc nequit esse falsa; cum abstrahentium juxta commune axioma non sit mendacium.

Q. 4. Quid si non obtentâ licentiâ confessarius interrogetur de pœnitente non absoluto an absolutus sit quid respondendum?

R. Non debet negare eum esse absolutum, nec dicere se absolvisse, sed se functum fuisse officio suo; quia si negat absolutum, nisi possit reddi causa v.g. quod pœnitens non habuerit materiam absolutionis vel confessionem generalem inceperit altero die perficiendam, generabit apud alios suspicionem vehementem de casu reservato vel indispositione pœnitentis, si dicat esse absolutum, mentitur, quod nunquam licet, igitur tertio modo debet respondere; sed quid si debeat scedulam confessionis dare non absoluto, quam pœnitens in paschate Parocho aut Magistratui debeat exhibere? videtur quod scedulam possit dare, in

quâ

quâ rest
alii nege
ne via ap
decipier
paschate
lum; pa
dulam ni
non app
potest o
solvi.

An

DIC

pat alic

Q. II

Ex

tanqu

attame

confes

tenen

fessio

res en

Sacrar

& præ

firmat

notitia

Sacrar

Infe

dos, c

sigillo c

fitentis

talem o

si quis f

quâ testetur de confessione, non de absolutione; licet alii negent talibus dandam esse confessionis scedulam, ne via aperiatur fraudibus, deturque improbis occasio decipiendi Parochos allato testimonio confessionis in pascate, neque illa negatio scedulæ est contrâ sigillum; partim quia confessarius negando ejusmodi scedulam nihil dicit, sed tantum confessionem positivè non approbat; partim quia absque mendacio non potest concedere scedulam, in quâ dicatur: *audivi & absolvi.*

Q U Æ S T I O I V.

An audiens vel legens obligetur saltem secreto naturali?

DICO: *Sicut aliquis, qui non est sacerdos, participat aliquid de actu clavis... ita etiam participat aliquid de actu sigilli confessionis.* S. Th. in suppl. Q. II. a. 3. O.

Explicatur & probatur: Licet solus sacerdos propriè tanquam minister Christi habeat obligationem sigilli, attamen omnes alii, ad quos quocunque modo notitia confessionis Sacramentalis pervenit, simul ad sigillum tenentur: quia in quantum participant de notitia confessionis, intantum participant de obligatione sigilli: res enim in ordine & intentione ad absolutionem Sacramentalem manifestata ex Christi institutione & præcepto, traditione & continuo usu Ecclesiæ confirmato hoc habet annexum, ut ad quemcunque talis notitia pervenerit, sine gravi sacrilegio & irreverentia Sacramenti revelari non possit.

Inferitur 1. Quod confessarius fictus sive non sacerdos, cui pœnitens peccata sua bonâ fide est confessus, sigillo obligetur; quia talis confessio ex intentione confitentis Sacramentalis est & ad absolutionem Sacramentalem ordinatur, sicuti propter oppositam rationem, si quis sit confessus sacerdoti sive vero sive ficto, sed

animo facto, non ex intentione obtinendæ absolutionis, nulla oritur sigilli obligatio, sed secreti tantum naturalis, eo quod talis confessio nullo modo sit sacramentalis.

2. Sigillo obligatur interpres, quo mediante confessio est facta, omnes præsentés audientes v. g. in aliqua necessitate vel si ob surditatem confessarii contingat confessionem altiore voce fieri, ita ut neque cum aliis neque cum seipsis de auditis postea invicem colloqui possint, & omnes & quilibet seorsim sigillo obstringantur.

3. Sigillo obligantur, qui furtivè de industria alterius confessionem audiunt, item omnes, quibus alterius confessio est sacrilegè revelata; item legens sive casu sive ex malitiâ scriptam alterius confessionem sive jam peractam sive peragendam: quia illa scriptura est internuntia peccatorum & sic vel inchoata confessio vel gerens vices confessionis jam peractæ, idem est de eo qui scripto excipit confessionem amici non potentis scribere.

4. Sigillo astringitur Prælati, à quo pœnitens sive per se sive per confessarium extra actualem confessionem petit licentiam absolvendi à reservatis: quia illa petitio licentiæ jam censetur inchoata confessio, & notitia superioris, quam à confessario habet, provenit ex inchoata confessione pœnitentis apud confessarium, vel si pœnitens à superiore licentiam petit est inchoata confessio in ordine ad absolutionem, non à Prælato, sed à proprio confessario recipiendam; ergo notitia, quam habet superior ex petitione licentiæ subjacet obligationi sigilli.

5. Obligatur sigillo ille, quem confessarius de peccatis vel statu pœnitentis ex ejusdem licentiâ consulit, deindè etiam illi, quos pœnitens ipse ante confessionem in ordine tamen ad confessionem faciendam consulit.

quia

quia
alteri
confes
ne sig
pœnit
de fac
institue
lo, ad
6.
lum
davi
secre
niori
fessio
niten
confes
confes

C
runc
taliur
jecta
mente
pœnis
ribus
nefici
indè B
tutibus
& direc

quia notitia quam confessarius de licentia pœnitentis alteri communicat, est eadem cum illa, quam habet confessarius; atqui hic habet notitiam cum obligatione sigilli; ergo etiam consultus: cum enim sæpe opus sit pœnitenti ante confessionem cum confessario vel aliis de suo statu communicare, ut rectius confessionem instituere possit, ideò si illi non adstringerentur sigillo, adhuc confessio redderetur odiosa & molesta.

6. Denique etsi nonnulli Theologi existiment sigillum etiam afficere pœnitentem, si quæ ipsi commendavit confessarius sub secreto naturali, attamen istud secretum non est strictius secreto naturali ex communi Theologorum sententiâ: quia sigillum confessionis est institutum in favorem & securitatem pœnitentium, ne timore revelandi secreti arceantur à confessione, quæ ratio se non extendit ad ea, quæ confessarius committit pœnitenti.

DISPUTATIO XXXIX.

De Censuris.

CENSURA est pœna spiritualis ac medicinalis, quâ potestas Ecclesiastica delinquenti contumaci quorundam bonorum spiritualium usum aufert: nempe talium bonorum, quæ jurisdictioni Ecclesiasticæ subiecta sunt ut est usus tam activus quam passivus Sacramentorum, Ecclesiæ suffragia, satisfactiones pro pœnis ex thesauro Ecclesiæ ac fidelium sanctis operibus in alios impendendæ, jurisdictio spiritualis, beneficia Ecclesiastica &c. quibus in pœnam privat subindè Ecclesia, non vero internis gratiæ donis seu virtutibus infusis utpote jurisdictioni Ecclesiasticæ per se & directè minimè subiectis.